

# EXERCITATIO

Super Versibus, duodecimo, decimo-  
tertio, & decimoquarto, capitis quinti.

Epistolæ D. Pauli ad Romanos.

## CAPUT I.

Verba Apostoli. Imputationem peccati cœpisse à transgressione  
legis Dei, quam Adamus violavit: desisse in Christo. Anti-  
thesis inter Adamum & Christum.

**P**AULUS Apostolus, Epistolâ quam scripsit  
ad Romanos, capite quinto, versibus 12. 13. &  
14. hæc ait.

XII. Sicut per unum hominem peccatum in-  
travit in mundum, & per peccatum mors: ita etiam  
in omnes homines mors pervasit, in quo omnes  
peccaverunt.

XIII. Nam usque ad legem peccatum erat in  
mundo. Peccatum vero non imputabatur, non ex-  
sistente lege.

XIV. Regnavit autem mors ab Adamo usque ad  
Mosem: In eos etiam qui non peccaverant ad si-  
militudinem transgressionis Adami; qui est typus  
futuri.

*Vulgati Interpretes explicant illud, Usque ad legem,  
decimitertii versus; de tractu illo temporis qui intercessit  
ab Adamo usque ad Mosem. Per quod tempus statuunt  
peccatum quidem fuisse in mundo, sed non datum fuisse cri-  
mini; sive non fuisse imputatum, ut vulgo dicitur. Sta-*